



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. V. Ordo Vallis Vmbrosæ, per S. Ioannem Gualbertum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

cum migrauit anno salutis millesimo vigesimo septimo. Eius corpus quinquennio postquam sepultum fuerat, integrum repertum, ^{1027.} Fabriani in Ecclesia sui Ordinis honorificè conditum est.

Sanctum porrò Romualdum Clemens VIII. in Diuos retulit, & Breuiario ac Martyrologio Romano adscripsit.

Est autem *Camaldulum* in diœcesi Aretina situm, cuius accurata descriptio exstat in tomo Italiae illustratae, per Andream Scottum edito.

CAPVT V.

Ordo Vallis Umbrosae, per S. Ioannem Gualbertum.

IOannes Gualbertus, Florentiae Gualberto viro militari nobiliq̄ue natus, pieq̄ue educatus, cùm factus grandior in fratris interfectorem incidisset, & districto gladio indignâ fratris necem vicisci paratus esset, inimico ex equo descendenti, humiq̄ue prostrato, & vitam sibi Christi amore condonari postulanti, ex animo per Christum crucemq̄; illius adiuratus pepercit. Quod Christo Domino adeo iucundum fuit, vt cùm *Ioannes* ex via in ædem *S. Miniatis*, de more preces fusurus, ingressus fuisset, & ante Crucifixi imaginem oraret, (mirabile dictu) ea imago caput ver-

fus Ioannem, quasi gratias agens, inclinavit.
 Qua re commotus Ioannes, vestem monasti-
 cam in eodem S. Miniatis cœnobio, patre
 niquo animo principio ferente, suscepit,
 eosque breui indies progressus in obseruan-
 tia monastica fecit, vt Abbate defuncto, sum-
 mo omnium consensu in locum illius elige-
 retur. Verum eo recusante, quidam ambitio-
 ne ductus, ab Episcopo Florétino, data pecu-
 nia, Abbas præficitur. Quod vbi rescitum
 fuisset, *Teuzonis* viri docti & probati consilio,
 Ioannes, ad Simonia detestationem, Episco-
 pum, & Abbatem simoniacos palam procla-
 mare non dubitauit. Et ex eiusdem *Teuzonis*
 consilio, vrbe egressus, *Camaldulū* se contulit,
 vbi aliquot dies commoratus, viuendi nor-
 mam eorum monachorum didicit, deinde in
Vallem Umbrosam venit: vbi loci solitudine
 delectatus monasterium exstruxit, primaq;
 ordinis Vallis Umbrosæ, factus primus Ab-
 bas, fundamenta iecit. Aderat inter alios eius
 alumnos, *Erizo*, *Albertus*, *Teuzo*, *Rodolphus*, &
Petrus postea cognomento *Igneus*. Ibi ex nimia
 vitæ austeritate languorem stomachi perpe-
 tuum contraxit, vt alijs misereri disceret. Cū
 autem multi tum Nobiles, tum Principes o-
 pes, fama sanctitatis ducti, offerrent, &
 loca prædiaq; largirentur; ea despiciens
 potius pauperibus illa erogari hortaba-
 tur: quæ verò monasterijs suis donata
 vel

vel legata erant, vendi darique pauperibus iur-
bebat. Cùm autem vir quidam diues, mona-
sterium ingressus, totum illi patrimonium,
despectis heredibus, reliquisset, vir Sancto
zelo accesus, sibi codicillos allatos discerpfit,
Ecclesiamque ingressus, Deum & beatum
Petrum loci tutelarem precatus est, vt tan-
tam, aduersus regulam & paupertatis vo-
tum, iniuriam vlciscerentur. Vixque pedem
inde extulit, cùm flamma de cœlo mo-
nasterium illud absumpsit. Interea E-
piscopus Florentinus, *Petrus* nomine
Ticinensis, non modò simoniæ, sed
& hæresis vitio aspersus, non medi-
ocri scandalo erat. Quapropter Ioannes,
vt ciuitatem ea peste purgaret, Episcopum
publicè ad sacrorum functionem minùs
idoneum dicebat. Ad quem, in monaste-
rio *S. Saluy* existentem, interficiendum E-
piscopus magnam armatorum turbam mi-
sit, qui ianuis effractis multos ex monachis
vulnerarunt: qui vbi præter opinionem
conualuissent, Romam profecti, vt Sy-
nodus fieret, obtinent; sed Episcopis par-
tes Petri Antistitis, vt videbatur, defenden-
tibus, monachi innocentia fidentes, se, quod
Episcopo Florentino obijciebant, per ignem
probaturos exhibent. Quæ res cùm po-
pulo probaretur, licèt Episcopi recla-
marent, quod Deus tentari videbatur,
accepta conditione, vt si monachus ignem

*Petrus
Igneus,
Card. et
Ep. Al-
banēsis.*

ingressus illæsus exisset, p̄ scopus Florenti-
nus reus haberetur, d̄ es constituitur: qua ad-
ueniente, *Petrus* Abbas, Ioannis discipulus,
post Missæ celebrationem, casula deposita,
acceptaq; in manibus cruce, & à S. Abbate be-
nedictione, populo inspectante, inter duas
lignorum strues optimè accensas, flammis ad-
ditum inter illas occupantibus, ingressus per
medios igneos globos, pedibus prunas cal-
cans illæsus, populo stupente, ac volentem
eadem via per flammam ingredi retinente,
pertransijt, ne capillo quidem à flamma vio-
lato. Eo miraculo tantus nouo Ordini honor
haberi cœpit, vt cœnobîa certatim illi con-
struerentur. *Petrus* verò *Igneus* ab euentu no-
minatus, in Cardinalem & Episcopum Alba-
nensem electus est. Sanctus autem Ioannes
senio confectus, clarus miraculis, IV. idus Iu-
lij migravit in cœlum anno salutis 1073. Di-
uis postmodum à Cælestino III. anno 1133
adscriptus.

1073.

Ita tradit Philippus Ferrarius in Catalogo
Sanctorum Italiæ, ex Breviario Valtis Um-
brofæ, & vitæ historia, per Blasium Mela-
nesium, eiusdem ordinis Generalem, conscri-
pta.

Ceterùm Ordo primitus gubernabatur per
Abbatem perpetuum: sed ab anno 1540. gu-
bernari cœpit per Præsidentem triennalem.
Suntque illius instituti plurima monasteria
cùm virorum, tum virginum in Italia.

CA.